III. *Enarratio Observationum circa* Rorem deciduum, *factarum* Medioburgi *in* Zeelandis, *a* Leonardo Stocke, *M. D. super aperta Planitie plumbea Turris Astronomicæ* Joh. Munkii, *Architecti publici; tempore nocturno, inter* 25 *&* 26 Julii 1741. *N. S. cum figuris* Floccorum Nivalium Jan. 1742. ibidem *observatorum.*

Read May 20. 1742.

DIEI 25 Julii meridie, altitudo Barometri fuit 29 poll. 2 $\frac{3}{4}$ lin. Rhenoland. Thermometri autem Fahrenheitiani 70 gradum: Cœlo sereno, Ventoque leniter flante ex occidente æstivo: At ipso observationum tempore, ab hora decima ad primam nocturnam, Barometri altitudo erat 29 poll. 2 lin. Thermometri circiter 60 gradum, flante vix ullo Vento, Cœloque itidem sereno.

In Vitrum varii generis, multum roris decidit, ita ut totum maderet.

In Aurichalcum politum pauxillum, nec nisi tenuis Vapor.

——Aurichalcum rude & asperum, paulo plus.

——Ferrum Stanno obductum, (Belgice *Blik*) parum.

—— ——— ——— ——— cœrulei coloris, multum.

—— ———asperum, admodum multum.

—— ———læve, pæne nihil.

—— ———rubiginosum, nihil.

——Argentum vivum purum, nihil.

In

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

In Stannum Iæve, nihil.
——Plumbum aſperum, multum.
—— ———lævigatum, parum.
——Argentum candidum, nihil.
—— ——— politum, nihil.
—— inauratum, item nihil.
——Vas Myrrhinum cœrulei coloris, (Belg. *Blaau Porſelein*) multum.
——Scandulam lapideam, multum.
——Corbulam ex canna Indica ſubtiliter plexam, modicum.
—— Lignum Querceum læve: albi coloris, perquam multum.
—— ———nigri coloris, multo minus.
—— ———Abiegnum (Belg. *Greenen hout*) lævigatum, erat tantummodo uvidum.
—— ——— albi coloris, paululum roris habebat.
——Omnis generis papyrum & humeſcebat.

Illis corporibus, quæ multum roris admittebant, paulo editius, diſtantia duarum triumve pollicum, ſupra locum jam roratum collatis, locus iſte in plumbea turris planitie ſiccabatur, ipſaque corpora tam inferne quam ſuperne madeſcebant; attamen ſtannum & argentum in eodem ſitu locata, ſicca permanebant, licet ipſe locus antea roratus exſiccaretur.

1



2



3



4



REGIÆ SOCIETATI Lond. *Figuræ ſupra-poſitæ, exhibent formas* Nivalium Floccorum, *quos* Medioburgi *in* Zeelandis *obſervavit* Leonardus Stocke, *M. D.*

Poſtridie Calend. *Jan.* 1742. *N. S.* Summo mane depluerunt Flocci, (partim) conformati inſtar Fig. 1. quorum Diametri ad extrema puncta pertingentes erant $\frac{3}{4}$ lin.

10 *Jan.* die, ante meridiem, Fig. 2. Diametri $\frac{3}{4}$ lin. in quibus media ſexangularis roſa, ſicut in Fig. 1. ovales figuræ vacuæ erant.

20 *Jan.* Circa meridiem, Fig. 3. Diametri 1 lin. & Fig. 4. Diametri 1 $\frac{1}{4}$ lin. hi poſteriores reſplendebant lapidis ſpecularis inſtar.